

B. m. II, 49.

h. 7, 13.

II n  
5974

JOANNIS FRIDERICI JOACHIMI  
HALLENS.  
COMMENTATIO HISTORICA  
DE  
SPVRIO  
MATHILDINO DONO.

Entdeckter Ungrund  
Der Mathildinischen Schenkung.



8.

---

HALÆ VENEDORVM  
Typis JOA. CHRISTIANI HILIGERI, Acad. Typogr.  
M DCC XXXVI.

88.

JOANNA FRIEDEM. IOACHIMI  
HALLENS  
COMMEMORATIONE  
SPARIO  
DONO DILECTAM



M. V. A. Q. S. V. R. I. K. H.  
T. E. A. C. A. M. N. H. I. C. H. I. A. O. L. 1772. T. M.

ILLVSTRISSIMO COMITI AC DOMINO  
DOMINO  
**JOANNI FRIDERICO**  
SACRI ROMANI IMPERII  
COMITI

**DE OETTINGEN**

DOMINO IN WALLERSTEIN, HOHENBURG,  
MARKT, SYFRIEDSBERG  
RELIQVA

COMITI AC DOMINO MEO  
GRATIOSISSIMO.

*ILLVSTRISSIME S. R. J. COMES*

*DOMINE GRATIOSISSIME*

*JOANNI FRIEDRICO*

*SACRI ROMANI IMPERII*

*COMITI*

*DE OEFFTINCIEN*



Antæ es indolis egregiæ, generosæ, TE dignissimæ, ut omnes TE suspiciant, magnificiant, venerentur. Regiam dicunt indolem; licet ignorant plerique omnes, TE stirpis Regiæ Agilolfingicæ progeniem, tantorum Germaniæ Principum tam antiquarum Domuum, Austriacæ, Brandenburgicæ, Guelphicæ, Lotharingicæ aliarumque esse cognata.

gnatum. Quid ? quod multos sagi togæ  
que HEROES OETTINGENSES Germania  
nostra celebrat ? Sufficit audire ILLVSTRIS-  
SIMVM TVVM NOMEN , ut innoteſcant  
laudes TIBI debitæ , adeo , ut minime mea  
panegyri indigeas. Sed tamen probe ſcio,  
tantæ TE eſſe humanitatis , ut non minus  
clementer ſis excepturus venerationem me-  
am , quam TVÆ Virtuti exhibeo. Etiam  
hoc ſcio , quod æqui bonique habiturus ſis  
hoc publicum monumentum venerationis  
meæ , quum illud extruxerim pro viribus  
ideo , ut liceat mihi adeo eſſe felici , qui , quo-  
ad vixero eſſe poſſim

*ILLVSTRISSIMI NOMINIS TVI  
COMES AC DOMINE GRATIOSISSIME*

Observantissimus devotissimusque  
Cultor  
JOANNES FRIDERICVS JOACHIM.

LECTORI.

**M**iraberis lector conatum. Miror & ego.  
Sed admirationis caussæ diversæ. Tuæ,  
quod scripserim de Mathildino dono,  
quando iam multi de eo egerunt ; Meæ,  
quod nullus eruditorum nondum tot errores huius do-  
ni refutaverit satis. Amici suaserunt hoc institu-  
tum. Jam alibi hanc spartam occupavi. Multa  
leviter tum, hic prolixius, tractavi. Noli itaque  
mirari Lector. Institutum nostrum ab aliis esse di-  
versum, vides. Ne contumeliis proscindas aucto-  
rem! Quid feci aut commisi? Nihil. Cogitas, quod  
vis? Ego quidem, quod placet! Est sentiendi liber-  
tas. In Democratis vivimus. Feruntur suffragia.  
Itur in sententias. Licet etiam, ut relictis aliis, so-  
lus stes. Nonnulli Dictatores, si Diis placet, erudi-  
ti orbis, stilo aculeato acriter in aliorum scripta in-  
vehuntur, famæ aliorum detrahunt. Contempnuntur.  
Vix Bartolum sapiunt. Apes dixeris, pugendo sibi  
ipsis interitum parantes. Sed quid ad me? Tecum  
communico cogitationes. Idem, sive bene, sive male  
judices, Vale.

Scripti in Academia Fridericiana  
die XVII. Martii, a. 1736.

CAP.

## CAP. I.

DE

## MATHILDIS PROGENIE.

## §. I.

**D**E Dono Mathildino dicturo, prius de Mathildis majoribus hic locus erit differendi. Quare in hoc Cap. I. agitur de Mathildis progenie. Cap. II. Num Mathildis bona sua Pontifici donaverit? Cap. III. Num Pontifex Innocentius II. Imperatori Lothario II. ejusque genero Henrico Magnanimo Mathildinas terras in feudum dederit.

## §. II.

Eæ regiones, quæ sub potestate Comitis *Mathildis* earumque majorum fuere, ad regnum Italæ pertinebant. Id ante me demonstrarunt vv. CC. MASCQVEVS, GVNDINGIVS, HAHNIVS *de Jure Imperii in Magnum Estruriae Ducatum*. Sed ortis in Italia turbis & bellis, multi præfecti seu provinciarum rectores in provinciis summas imperii occuparunt, & a fide discesserunt. conf. *Vir Perill. Dn. Canc. de LVDEWIG, immortale Fridericiana decus in Sing. Jur. Publici*, quantivis pretiis libro, ubi exempla uberrima adducta, quæ alibi frustra quaeruntur. Innumeros adducerem. Sed quum hi in examen sint vocandi, qui *Tusciae Marchiam* rexerunt, de his ageamus.

## §. III.

Primus e *Mathildis* majoribus, *Sigefriedus* audit DOMINIZONI. SIGONIVS quidem *Lib. IX. de Regno Italæ*, alium stipeitem communem, videlicet, Marchionem Atefthinum, nomine *Autonem*, qui circa reparatæ salutis annum 967. vixit, nobis obtrudere conatur, itaque sequentem sistit genealogiam

Acto

---

Atto

---

Thedaldus.

---

Bonifacius

---

Mathildis.

LEIBNITZ dans sa lettre sur la connexion de la Maison de Brunsvic avec la Maison de Modene, etiam huic relationi calculum adjicit. Sed utrique errant in eo, quod Attonem Estensem Marchionem fuisse adserunt. Fuit Thedaldi pater Atto, seu Adelbertus, sed Marchio Tusciae, non autem Atestinus; nos infra testimonii luculentis hanc sententiam confirmabimus.

## §. IV.

Aliud stemma suppeditant alii, ubi Bonifacium patrem Mathildis, filium Egberti Saxoniae Ducis fuisse autemant. Videamus Genealogiam

Egbertus, Saxoniae Dux

Gertrudis, vxor Henrici	Bonifacius, Tusciae
Ducis	Marchio

---

Richenza vxor Lotha-	Mathildis
rrii II. Imp.	

Gertrudis conjux Henrici	
Magnanimi, Bavariae	
Saxoniæque Ducis.	

Sed quum veritas hujus stemmati prius probanda, quam temere credenda, non est, quod refutetur.

## §. V.

Veram atque indubitatam originem Comitis Mathildis prosapiæ, omnium optime ostendit DOMINIZO presbyter. Celebrat iste carminibus antiquis Mathildis maiores. Hinc aliud existit stemma

Siege-

Siegefridus.

Atto.

Thedaldus

Bonifacius

Mathildis

DOMNIZO maximam meretur fidem, quippe qui in aula *Mathildis* degebat, & de ejus majoribus optimam habere potuit notitiam. Neque tamen adfirmaverim, DOMNIZONIS relatio-  
nibus tanquam responsonibus Oraculi esse credendum. Nam etiam nonnulla reperiuntur, quæ ficta. In indagandis autem *Mathildis* majoribus hunc presbyterum omnibus aliis præfero.

## §. VI.

Hic ex *Mathildis* progenie primum nominat *Siegefridum*, apud LEIBNIZIVM Tom. I. Scriptor. Rer. Brunsuicensi, in Vita *Mathildis* p. 633. Adpellitat illum principem præclarum de Comitatu Lucensi. Non fuit *Siegefridus* Marchio Tusciae, aliarumque ditionum, quæ *Mathildis* postea habuit; sed tunc temporis alias Tusciae Marchiones fuisse, probatum dedit Vir eximiæ eruditio-  
nis, decus Academiae Lipsiensis III. MASCOVIVS in Diff. de Jure Imp. in Magn. Etrur. Ducat. S. I. §. 5. Sed verba DOMNIZONIS, quando adserit; *Siegefridum* fuisse de comi-  
tatu Lucensi, crucem figurunt. Luca metropolis erat Tusciae. Hinc, si *Siegefridus* fuerit de Comitatu Lucensi, fuit Marchio. Nisi verba: de comitatu Lucensi, ita interpretentur, perinde ac si DOMNIZO dicere vellet: illum non fuisse comitatus Lucen-  
sis præfatum, sed hanc regionem ejus esse natale solum. Vo-  
cabulum *Principis*, quo *Siegefridum* ornat, cave existimes de-  
notare Fürst, qui juribus majestatis gaudet; sed significat: ei-  
nen vornehmen Mann, ob præclara gesta. Principes enim, ut  
hodie sunt, eo tempore Italia non ferebat. Solos admini-

B

stra-

HIV.



stratores eos fuisse, jam dudum ante me Viri eruditio docuerunt. Obiit Siegfriedus anno 945, teste SIGONIO de Regno Italie ad b.a. conf. GIVLIO DAL POZZO in vita Mathildis p. 146.

## §. VII.

Patrem Siegfriedum excipit filius Atto Princeps Canusinus, de quo id. AVCTOR p. 693. refert, quod comitatus honore ab Ottone M. Imp. decoratus fuerit. Quid hoc sibi vult DOMNIZO? vix capio. Nam si Canusinam arcem Atto jam tenuit, fuit comes, neque opus fuisse, comitatus honore illum decorare. Itaque auguror, quod Otto M. Attioni praeter Cannosam, alium districtum dederit ad regendum. MELLINI p. 1. putat, quod Azzo ex Siegfrido primo ortus Rhegium Comitarum sortitus sit, Brixellique, & Apollonii insituerit coenobia, prozulterisque ex Hildegarda Othonis I. Imperatoris ex Fratre nepre, Gothefredum Pontificem Brixinensem & Theobaldum. Sed de hac relatione jam dubitavit GIVLIO DAL POZZO Muraviglie Heroiche &c. p. 149. Provocat quidem MELLINI ad FRANCISCI ROSIERII stemma Lotharingicum. Sed quis crederet falsario RO- SIERIO? Ejus liber pæne omni fide destituitur, ut docuerunt PAGI in Critica Anti-Baronian. ad a. 913. n. 1. & ad a. 1070. n. 7. & 16. BESLIVS de vera origine Hugonis Italie Regis. BLONDALLVS in Barro Campano-Francico pag. 14. LUDOV. ANTON. MVRATORIVS in Antich. Estensi. Præfat. p. 12. & 13. Num vero Atto is fuerit, quem SIGONIVS & LEIBNITZIVS e familia Estensi fuisse autumant, dubito. Nam, si Atto e gente Estensi fuisse, sane prodidisset DOMNIZO, illumque non filium Siegfredi adpellaret, quippe qui Erruscus, non Estensis. Vox Atto SIGONIVM & LEIBNITZIVM in illum errorem induxit. Longobardis moris est Adelbertum vocare Autonem. Ipse Atto in Constitutione LXI. Tom. II. Bullarii Basinensi. recitata Adelbertus & Atto comes adpellatur. Quod autem DOMNIZO ait: Attonem fuisse filium Siegfredi, id confirmat cir. Conflit. quam etiam MVRATORIVS in Antichità Estensi Cap. XVI. p. 139. apofuit; ubi Atto expressis verbis dicit: suum quondam patrem fuisse Siegfridum.

## §. VIII.



## §. VIII.

Atto filium generat *Theodalum*, quem AVENTINVS in *Annal. Boior. Dietboldum* nominat.. Vocatur etiam Adelber-sus a filio *Theodaldo* in diplomatis, & *BVLLA Benedicti VII. Summi Pontificis*, quam publicare promisit V. C. MVRATORIVS in *Antichità Estense Cap. XXI. p. 197.* Post patris mortem in ejus ditiones & honores successit, ut habet *DOMNIZO p. 640.* Vinculis matrimonii sibi *Willam* sororem *Hugonis Tusciae Marchionis* conjunxerat. Monasterium S. Benedicti di Padolyrone condidit, de quo elegantem libellum scripsit *BENEDICTVS BACCHINI*, cui titulus: *Istor. del Monasterio di San Benedetto di Padolyrone.* Est liber rarissimus, & frustra a me quæsitus. Exstitit in *GVNDLINGII Bibliotheca*, sed auctionis lege distractus pro 1. *Qhl. 15. Gr.* Diploma, in quo donatio hujus monasterii continetur, extat in *Constit. LXXII. Tom. II. Bullarii Calinenis.* Scriptum est diploma hoc, anno IV. regni Henrici, mense Junio, Indictione V. anno Christi 1007. Ibi mentionem facit conjugis suæ *Wille*. Ego, inquit, in *Dei nomine Teudaldus Marchio*; *filius quondam Adelberti itemque Marchio & coniugis mee Wille.* Hoc diploma etiam recitat *BENED. BACCHINI Istor. del Mon. di Polir. in Apend. p. 16.* quod fide v. c. MVRATORII in *Antich. Estens. Cap. XXI. p. 197.* scribimus. Ex quo adparet, conjugem ejus *Willam* eo tempore jam vitam cum morte commutasse, & *Theodalum* postea nunquam conjugium ambiisse. *FLORENTINIVS Libr. III. Commen-tar. de rebus ad Comitissam Mathildem spectantibus p. 46. seq.* fuit illum primum ex Marchionibus, qui post obitum *Hugonis, Tusciae præfuerunt.* Is anno 1005. *Henrico II. Imp. Veronæ occurrit*, in quem Imperator multum spei colloca-verat. Id colligo ex relatione *DITMARI MERSEBURGENSIS*, qui *Lib. VI. Chronicu* ait: *Huic occurrit diu expectatus Theobaldus Marchio cum prædictis auxiliatoribus, gaudens tempus advenisse, quo secretum bonæ voluntatis liceret huic aperire.* Sed præstantissimus Marchio eodem anno, quo monasterium S.

Benedicti de Padolyrone condiderat, nimirum 1007. debitum naturæ exsolvit, ceu testantur SIGONIVS Lib. VIII. de Regno Italiae, & FLORENTINIVS c. I. p. 47. Fuit avus nostræ Mathildis, ceu ipsamet prodit in *Constitutio*, LXXVII. Tom. II. Bullarii Casinens. scripta anno no4.

## §. IX.

Post obitum *Theboldi*, Marchiam Tusciae rexit quidam *Bonifacius*, filius *Alberti* comitis. Extat in FLORENTINII Commentar. l. c. chartula donationis abbatiae Florentinæ 1009. factæ, in qua profitetur, se lege Ripuariorum vivere. Hinc SIGONIO c. l. non adsentimur, qui scribit: *Bonifacium filium Thedoldi & patrem Mathildis, Erruria præfuisse*. Videlicet hunc errorem FLORENTINIVS, & refert: nullum sibi occuruisse diploma ante annum MXXXIV. scriptum, in quo Bonifacius Marchio adpellatur. Hunc sequutus est GIVLIO dat. POZZO l. c. p. 182. 83. Sed adcuratissimus P. ANTONIVS PAGIVS in *Critica Anti-Baroniana*, libro quantivis pretii ad an. 1002. n. 4. observavit, quod in *Constitutio*. LXXXIII. Tom. II. Bullarii Casinens. donatio *Richilda Comitissæ* & ipsius *Bonifacii*, facta anno MXXV. IV. Kalendas Maii Indiæ. VII. contineatur, in qua *Richilda*, quæ prima ejus uxor fuit, se *Comitissam*, & *Bonifacius* se *Marchionem* nuncupant.

## §. X.

Sed & illo mortuo, nondum *Bonifacius* Tusciae præfuit, sed quidam *Adalbertus* marchio b. m. *Oberti filius*, & *nepos* b. m. *Atalberti*, qui fuit similiter marchio. ILL. DN. MASCOVIS in cit. pererudita DISS. bene observat; non constare, num idem Tusciae Marchio fuerit, quum verosimile Adelbertum, *Oberti Estenensis* fuisse filium. conf. v. c. LVDOVICI ANTONII MYRATORII *Antichitatem Estenensem* Cap. XX. p. 187. quem librum PERILL. DN. de LVDEWIG Vir ad stuporem invidiamque doctus, nobiscum ex lectissima pretiosissimaque bibliotheca, cui privata in Germania vix erit par, ac ne vix quidem, ex singulari benevolentia communicavit. Dubium superesse videtur, si conferamus dí-  
plo-

ploma a 1011. confectum, a S. Mar. in Monte, qui locus est hodie Reip. Lucensis, publicatum a FLORENTINIO c. l. p. 48. At vero territorium Lucense olim ad Tusciae Marchiam pertinuit. Sed Scrupulum idem VIR ILL. MASCIVIS l. c. removet, quum ex allegato libro MVRATORII c. XX. docet: Gentem Estensem, in Tuscia, & ipso quoque comitatu Lucæ amplissima possedisse prædia. Itaque conjicio illum Adelberum non præfuisse Tusciæ, sed Rehimerium. Hic 1026. Conradum Salicu[m] in Italiam venientem, cum Lucensibus Vercellis salutavit. Gravis testis est OTTO FRISINGENSIS Lib. VI. Chron. cap. 28. Rex vero, inquit, castra movens sanctum Pascha Versellis celebravit. Ibi Rehimerium Marchionem cum civibus Lucensibus obviam habuit. Confirmat nostram sententiam PETRVS DAMIANI in Vita s. Romualdi, ubi ait: *Et non longe in virtute Ranerii, qui post modum Tusciæ Marchio factus est, habi- tavit.*

## §. XI.

Reinerium Marchionem excipit Bonifacius filius Marchionis Thedaldi. Illum jam anno 1034. Marchionem Tusciæ fuisse, docent tabulae, quas SILINGARDVS de Episcopis Mutinensis in Vita Ingonis allegat; quibus etiam FLORENTINIVS Lib. l. p. 25. usus est. Marchiones Tusciæ ante Bonifacium, marchiam Tusciæ nomine rexerunt administratorio. Sed imperator Conradus Salicus, huic Bonifacio Tusciæ Marchiam sub nexu fidelitatis concessit. PETRVS DAMIANI Lib. VII. Ep. 10. seqq. Et DOMINIZO cixccoyos p. 648. id ita exprimit:  
Ut juraret ei, rogat ipsum (Conradus Bonifacium) more  
fidelis

*Atque ideo dixit, quod Marchio serviet ipsi.*

Vulgo arbitratur, his verbis contractus inesse feudalis inter Conradum Salicum & Bonifacium. Nam adest juramentum fidelitatis, ubi subditus, sive vasallus, fidem suam domino obstrinxit, & fidelitatem juravit, ceu adnotavit DV FRESNE in Glossario. v. Fidelis p. 427. Et p. 429. docet: *Sacramentum fide-*

*fidelitatis præstatum esse a Vasallis Itanibus, & tacitis Evangelii. Etiam DOMNIZO meminit servitorum. Servitium regularitur accipitur pro quolibet obsequio, quod a vasallis & tenentibus debetur ratione seudi vel tenuræ, ut CANGIVS v. Servitium Tom. III. Glossar. p. 828. observavit. Hinc arbitror, Bonifacium Tusciae Marchiam a Conrado Salico in clientelam accepisse, sed non tali modo nexus clientelaris fuit, ut hodie, quippe tum temporis feuda nondum in eo statuerant. Et maximum oritur dubium, si vocabulum servantis rite examinemus: Nam SPELMANNVS v. Servientes Regis observat, quod reges habuerint in singulis Comitatibus Servientem ad legem, in nomine eorum Coronæ placita prosequentem. conf. DV FRESNE v. Servientes Regis. Ideo puto, quod Bonifacius talis serviens Regis fuerit, quam conjecturam confirmat Diploma quoddam, quod infra dabo. At non temere putandum, Bonifacium solum fuisse administratorem, sed habuit etiam maxima prædia & ditiones, in his regionibus sitas. Adquisivit postea etiam Tusciæ Marchiam, ex liberalitate Conradi Salici, quem DOMNIZO observet, eum Tusciæ Marchiam, majori cum auctoritate, quam non habuere ejus antecedentes, accepisse, de quo in Comment. De Jure Dom. Bruns. in Terr. Matild. Cap. III. §. 4.*

### §. XII.

SIGONIVS Lib. VIII. de Regno Italie refert de Bonifacio tanquam aliquod singulare, quod Ducis titulum gesserit. Fuit, inquit, omnium Principum Italicorum clarissimus, quippe qui Canussii Comes, Parmæ & Ferrarie Marchio, Dux Tusciæ perinde ac pater ejus Thedaldus. Siquidem & is Ducis titulum gessit. Confirmat SIGONII dicta FLORINTINVS c. l. in append. p. 117. ubi Bonifacius se Marchionem & Ducem adpellat. Si P. ANTON. PAGIO est habenda fides in Crit. Anti-Baron. ad a 1093. n. 2. voces Marchionis, Comitis, & Ducis ad idem significandum usurpabantur. HADRIANVS VALESIVS in not. ad Paneg. Berengarii C. III. observat, quod Ducis & Comitis apud plu-

plurimos Scriptores appellatio promiscua sit. At inter Du-  
cem & Comitem differentiam intercedere, docet FLORENTINI-  
VS c. l. p. 7. Intorno, inquit, al Mille era l' Italia tuttavia di-  
visi in Marche e Contee. Ogni Città riconosceva il suo Conte  
destinato con gli Schavinio Giudici alla decisione delle cause nel  
popolo. Obedivano i Conti, con gli altri subordinati, a Gover-  
natori delle Marche chiamati Marchesi. Misudevano i Marchesi  
nelle città medesime, dove ne' tempi più anzichi avevano i Prin-  
cipi Longobardi il Palazzo Ducale; e ritenendo il titolo di Con-  
te, per cui si PASSAVA al maggior grado, prendevano ancora  
quello di Duca, se la Provincia governata anticamente lo posse-  
deva. conf. V. C. MVRATORII Antichitam Estensem Cap. V. p. 26.  
& seq. qui erudite, uti semper solet, de his denominationi-  
bus differit. Habuit in matrimonio Richildam. BENED. BAC-  
CHINI in Istoria del Monastero di San Benedetto di Pò di Lirone,  
in append. putat: Richildam fuisse filiam Giselberti Lucembur-  
gici Ducis, & neptem S. Cunigundæ Imperatricis. Sed v. C.  
MVRATORIVS in Antichita Estenſi Cap. VIII. p. 55. de hac re val-  
de dubitat. Recitat Conf. LXXIII. Tom. II. Bullarii Cusinens.  
quam supra adduximus, ubi legitur: Richildam vivere lege  
Longobardorum. Hinc acute conjicit: Richildam non duce-  
re originem e Domo Lucemburgenſi, quia Lucemburgenses  
Comites non fuerint Longobardi. Promisit etiam Vir eru-  
ditus, instrumentum ex Archivo Estenſi publici juris facere,  
in P. II. Anticti. Estenſi. Utinam properaret opus. Mortua illa  
in matrimonium duxit Beatrixem. Quenam haec fuerit, inter  
Historicos non satis constat. Sic SIGONIVS Lib. VIII. De Regno  
Italiae p. m. 197. existimat, eam fuisse filiam Conradi Salici  
Imp.

## Conradus Salicus

Beatrix = Bonifacius.

Sed nenia canit SIGONIVS. Nullam filiam, cui nomen Bea-  
trix, Conradus Salicus habuit. Optimam maternam Mathil-  
dis

*dis Genealogiam explicat Genealogia SANCTI ARNVLPHI ap. DV. CHESNE Tom. II. Scriptor. Rer. Francicar. Hadwidis, inquit Auctor. d'vwvqos, soror fuit Ottonis Magni, genuitque Hugonem Regem Francorum, & Beatrixem uxorem Friderici Ducas, nempe Lotharingiae Superioris. Beatrix genuit Theodoricum Ducem. Fridericus Dux genuit Beatrixem & Sophiam. Beatrix genuit Mathildam ex Bonifacio, qui fuit primus maritus Beatrixis Mathilde nostræ matris. Quod Otto Magnus habuerit sororem, nomine Hadwidam, testantur WITICHINDVS CORBEIENSIS Lib. I. Annal. p. 638. & GVIEL. NANGIVS in Continua. Frodoardi apud DV. CHESNE Tom. II. Scriptor. Rer. Francicar. p. 627. conf. DN. KOELERI Diff. de Fam. Aug. Caroling. Tab. I. n. 38. p. 16. Totum itaque Stemma Genealogicum tam masculinum, quam sequioris sexus hic adponere lubet.*

Henricus Auceps, vxor  
Mathildis.

Otto M. Imp. Gerberga. Hadwida  
nupta a. 938.  
Hugoni Magno Comiti  
Parisiensi †  
a. 956.

Hugo, Rex Francorum, Beatrix, nupta  
Friderico I.  
Duci Mosellani.

Siegefridus

S. Adalbero Metensis Theodoricus I.  
Episcopus

Atto S. Adelbertus, vxor Ildegarda

Fridericus II.

Theodaldus, vxor Willa

Sophia.

Beatrix

Bonifacius, Dux Tusciae

Bonifacius? Mathildis, maritus 1) Godesfridus  
Gibbosus, Lotharingiae Dux,  
2) Guelphus, Dux Bavariae,

Hac

Hæc stemmata etiam sifit, v. C. LVDOV. ANTON. MVRATORIVS in  
Antichità Effeusi Cap. VIII. p. 64.

## §. XIII.

Miror itaque, oculatissimum Cardinalem BARONIVM in  
*Annal. Ecclesiast. contendere*, DOMNZONEM Vitæ Mathildis  
auctorem in indagandis Beatricis majoribus hallucinatum esse.  
Scribit presbyter; Beatricem matrem *Mathildis*, fuisse filiam  
Friderici DUCIS. Verba ejus sunt:

*Cum natam rutili DUCIS expertit Federici  
Conjuge cum propria Mathildis denique dicta  
Iste Beatricem Federicus donat habere.*

At testimonia §. XII. adducta, satis superque docent, DOM-  
NZONEM omnino vera cecinisse; BARONIVM autem esse hallu-  
cinatum. Cui vero hæc dicta nondum sufficient, iste consul-  
lat ELORENTINII *Commentar. Rer. ad Comitiss. Mathildem spe-  
cialit. Lib. III.* Adducit ibi auctor præstantissimus documen-  
tu m e tabulariis Episcopi Lucensis, ubi sequentia leguntur:

In nomine D. N. Iesu Christi Dei æterni anno ab Incarnat. ejus  
millesimo quinquagesimo quinto, pridie Cal. Junii, indictione  
octava, constat, me Beatrice lege vivente Saliga, filia bonæ  
memoriæ Federighi, qui fuit Dux, qui fuit Similiter lege vi-  
vens Saliga, quæ sevundum legem meam Saligam.

Magis hoc adscertum confirmat *Constitutio*, quæ *Tom. II. Bul-  
tarrii Casinens. inserta*, & a P. ANTONIO PAGIO in *Critica Anti-  
Baroniana ad a 1070. n. X.* adducta. Scripta est *Anno MLXXI.*  
quarto Kalend. Septemb. indictione IX.

Manifesta sum ego Beatrix Comitissa ac Ducatrix, filia bonæ  
memoriæ Frederici DUCIS; quæ professa sum ex natione mea  
lege vivere Saliga, quia per hanc chartulam meæ dispositionis  
sive offensionis pro remedio animæ meæ, & pro remedio ani-  
mæ Bonifacii Marchionis & DUCIS quondam viri mei, & inco-  
lumitate & anima Mathildæ dilectæ filiæ meæ, & pro mercede  
de animæ Gotefridi DUCIS quondam viri mei, & pro mercede

animæ Beaticis quondam neptis meæ, offero tibi Deo, & Sanctæ Mariæ virgini, & omnibus Sanctis, &c.

### §. XIV.

Sed ad rhombum. *Bonifacius*, quum *Beatricem* in matrimonium duceret, sponsalia regis impensis celebravit. Audi SIGONIVM *Lab.* VIII. *de Regno Italiæ* p. 197. Eodem, inquit, tempore *Bonifaciū mortua Richilda coniuge Beaticem, Conradi filiam, duxerat, ac sponsalia maximis impensis, atque effusa, ut erat omnium illa ætate disissimus, in omnem luxuriam magnificensia apud Arincium celebrarat. Siquidem, si famæ credimus, ad eam ducendam profectus equos soleis argenteis calcios habuerat, & domum reversus pistrina publice ad molenda libero omnium usui aromata exitores. Et vinum vulgo omnibus bibere cupientibus importaverat. Genuerat *Bonifacius* filium *Bonifacium* & filiam *Matildem*. Mortuus autem est *Bonifacius* a. 1052. & Mantuae sepultus. HERMANNVS CONTRACTVS *ad a. 1052.* Egregius Marchio & lumen regni vocatur ab ARNVLPHO MEDIOLANENSI *Lib. II, Gistor. Mediolanens.* c. VII. p. 732.*

### §. XV.

*Beatricem Bonifaciū viduam, Godofredus Barbarus duxit in matrimonium. Rebellis hic exxit contra Imperatorem Henricum III. Hinc ægre ferebat Imperator ejus matrimonium cum *Beatrice*, & secum constituebat, Italiam petere. Rem enarrat LAMBERTVS SCHAFFNABVRGENSIS. Henricus Imperator, inquit ad a. 1055., natalem Domini Goslariae celebravit, statimque exadi serii solennibus in Italiam perrexit, vocatus eo legatione Romanorum, qui nunciaverant, nimium in Italia contra Rempublicam crescere opes & potentiam Godefridi Duci: & nisi turbasis rebus mature consulteretur, ipsum quoque regnum propediem ab eo dissimulato pudore occupandum fore. Sed ubi Italiam ingressus est, Dux Godefridus missis in occursum eius nunciis, mandavit, nihil se minus quam rebellionem cogitare, paratum potius pro statu reipublicæ & imperatoris salu-*

salute extrema etiam omnia experiri, gratum se habere, quod patriis finibus extorris, patriis possessionibus eiusdem, opibus sicutem uxoris sua in peregrinatione sustentaretur: quam nec dolo, nec rapto, sed ipsis placito, & celebratis solenniter nuptiis in matrimonium sibi iunxit. Batrix quoque dissimulatio metu imperatori obviam procedit, & vix imprudentia dicendi copia ait, nihil se egisse, praeterquam quod jure gentium sibi agere licuisset: destitutam se priori marito desolatae domini patronum paravisse, & ingenuam ingenuo sine fuso nefaria cuiusquam machinationis nupsisse, nec æqui, nec boni memorem eum esse, si id sibi pace ejus non liceret, quod in Imperio Romano fæminis nobilibus semper licuisset. Imperator itaque accepero a primis consilio: Godefridum crimine absolvi, non tam probans satisfactionem ejus, quam metuens, ne malis recentibus exasperatus Normannis infestantibus Italiam ducem belli se præberet, & fierent novissima ejus peiora prioribus: Beatricem tamen quasi per deditio[n]em acceptam secum abduxit, hoc illi culpa objiciens, quod contractis se inconsulto nuptiis hosti publico Italiam commoratus, cuncta, que rei uilitas exposcere videbatur, magnifice pro loco & tempore ordinavis. Aliam autem caussam Imperatorem habuisse, tali modo in Beatricem animadvertisse, docuimus in Opusculo allegato Cap. II. §. 5.

## §. XVI.

Sine prole erat conjugium Godefridi & Beatricis. Ex Godefrido Barbaio & Dode ejus uxore natus erat Godefridus, qui maleficam nauctus erat naturam in corpore, ideoque Gibbosus dictus. Obiit Godefridus Barbatu[m] a. 1070. BERTOLDVS CONSTANTIENSIS, Godefridus, ait ad h. a. *Dux inter seculares excellenissimus, & in recordatione peccatorum suorum ad compunctionem lachrymarum facillimus, in erogatione eleemosynarum largissimus, in vigilia nativitatis obiit.* Cui suffragatur LAMBERTVS SCHAFFNABVRGENSIS ad a. 1070. *Dux Lotharingorum Godefridus omnibus pene terris magnitudine suarum rerum gestarum comperius & cognitus obiit, & Verdunis sepul-*

*tus est : cui filius ejus Godefridus successit, præstantis quidem animi adolescens, sed Gibbosus : conf. Sigebertum GEMBLACENSEM in Chron. ad h. a. Caste Godefridum cum Beatrice vixisse, testatur PETRVS DAMIANI Lib. VII. Epist. 14.*

## §. XVII.

Hoc anno *Godefridus Gibbosus Mathildem* in uxorem duxit. *Beatrice* vidua remansit, & cum *Mathilde* filia omnia Tusciae bona administravit. Adparer tamen, eas nonnulla non proprio, sed imperatoris nomine administrasse. Adduxit GVNDLINGIVS in *Diss. de Jure Imp. in Magnum Etrurie Ducatum p.m. 15.* Decretum *Beatricis*, quod regali auspicio latum, & sententiam nostram confirmare videtur. Placet itaque integrum Decretum hic transcribere.

Dum in Dei nomine, in civitate Florentia, intus Palatium de domo S. Joannis in Judicio resedebat Dna. *Beatrice* Ducissa & Marchionissa, uxor Gottifridi glorioissimi Ducis ad causas audiendas ac deliberandas intentiones ad vicem supradicti Viri sui; resedentibus cum ea *Villelmus*, qui Bulgatello vocatur filio b. m. *Aezite*, *Alberico* filio b. m. *Joannis* & *Vberto* filio b. m. *Vberti* & *Alberto* filio b. m. *Rodolfi*, & *Paganus* filio b. m. *Rolandi*, & *Vgo* filio idem *Ugonis*, & *Ildebrandus* filio b. m. *Gherandi* & *Rainerius* filio *Gomizi* & *Theudericu* filio *Ildebrandi*, & *Wido* filio *Cunimundi*, & reliqui plures ibique in eorum, & prædictorum præsentia Petrus abbas de Ecclesia, & Monasterio Beatissimæ Sanctæ Mariæ sita in civitate Florentia, una cum *Wido* Advocato suo, & eidem ecclesiæ, & ceperunt dicere, habemus ad proprietatem &, partem de supra dicta Ecclesia & Monasterio S. Mariae integrum una sorte, & res, quæ posita in loco, qui vocatur *Monozie*, sicut recta est per *Joannem Presbyterum*, & *Azo* & *Benedicto* & *Raimberto*, & per eorum consortes, una cum *Terris*, *Vineis*, *hortis*, & *Domini-catis* & *Mallaritiis* & universis rebus ad ipsam sortem pertinentes & sunt infra Territoria Plebium S. Mariæ sita *Cilivaccolo*, & S. Petri in mercato; si est ullus homo qui adversum nos ad partem su-

pra-

prædictæ Ecclesiæ & Monasterii aliquid exinde agere, aut causare, vel intentionare mittere vult, parati sumus cum eo in ratione standum, & per legem finiendum, & quod plus est, quærimus vestri mercede, ut vos faciatis pro Dei timore, & animæ Dni Regis & vestræ remedium, ut mittatis Bannum super nos & super prænominatam sortem, & res, ut supra legitur, ad partem supradictæ Ecclesiæ & monasterii; & tunc ipsa Beatrix Duætrix per consolationem supra dictorum Judicium per Fustem, quem sua detinebat manu, misit Bannum Domini Regis super prædictum Abbatem, & Advocatum ejus, & super jam dictam sortem, & res, qualiter supra leguntur ad partem jam dictæ Ecclesiæ & Monasterii Sanctæ Mariæ in Mancusos aureos duo millia, & nullus quislibet homo, magna parvaque persona, jam dictum Abbatem & Advocatum ejus, vel eorum successores ad partem prænominati Monasterii de prænominata forte, & rebus, sicut superius legitur, audeat eos disvestire sine Regali judicio. Qui hoc vero fecerit prædictos duo millia mancusos aureos compositurum se cognoscat medietatem supradicto Abbatii & Advocato ejus ad partem supra dicti Monasterii, & de suis Rectoribus, & futura ostensione fieri ammoverunt. Quod quidem & ego Joannes Notarius ex iussione prædictæ Beatricis Ducatricis - - - & Judicium admonitione scripsi An. ab Incar. Dni LXI. post mille Kal. Decembbris, Indictione XV.

Rotecherius judex interfui

Ugo judex Domini Imperatoris interfui

Petrus judex sacri Palatii interfui.

### S. XVIII.

Sane hoc Decretum docet, quod *Beatrix & Mathildis*, jure quidem hereditario in nonnullas ditiones successerint, sed tamen inconsulto imperatore nil momentosum facere potuerint. Etiam ex hoc Diplomate videri potest, *Beatricem* titulum Ducatricis gessisse. Quamvis *FLORENTINIVS* Instrumentum proferat, ubi *Beatrix* se non *Ducissam* appellitat, nam ibi legitur: *Confut me Beatrice lege viveute Salicha, filia*

b. m. Frederichi, qui fuit Dux, qui fuit similiter lege vivens Salicha. Et ILL. DN. MASCOVIUS cit. Diff. §. VII. lit. g. ex eo conjiciat, eo tempore, quo Henricus III. Beatricem ob initum matrimonium cum Godefrido Barbato ceperit, videri, Beatricem ipso Ducali titulo esse spoliatam; non tamen hinc sententiae calculum addimus, (quod pace Viri ILL. dixerim) quia hoc instrumentum non probat, Beatricem Ducali titulo esse spoliatam; sed indicat potius, eam titulum Ducatricis non gessisse, idque factum fuisse ob caussam singularem, forsan ex devotione. Plura testimonia in scenam producere, si instituti ratio pateretur. vid. interim *Constitutio. Tom. II. Bul-larii Casinensis.* a nobis supra (§. XIII.) adducta. Decretum (§. XVII.) adductum, quod anno 1076. &c ita jam turbis & querelis compressis, scriptum, satis indicat: Beatricem non Ducali honore esse exutam, sed in libero ejus arbitrio positum fuisse: num titulum Ducatricis gerere voluerit, an non.

### §. XIX.

Romanam Ecclesiam eo tempore graviter afflictam magna constantia defendit. Laudatur in literis *Gregorii VII. Summi Pontificis a BARONIO in Annal. Eccles. ad a. 1074.* re-latis, omnesque pontificii scriptores illam laudibus ferunt. Effavit animam anno 1076. die XVIII. mensis Aprilis, id quod BARONIVS ad b. a. n. 78. ex DOMINZONE adnotavit. Celebra-tur a BARONIO, laudatur a PAGIO, & omnes eam laudibus extollunt, quia semper addicta fuit Romanæ Ecclesiæ atque Pontificibus.

### §. XX.

Sequitur famosa *Mathildis*: Ut DOMINIZO & ex eo BARO-NIVS adserunt, anno 1046. ex Bonifacio & Beatrice nata est. Godefrido Gibboſo, filio Godefridi Barbati & Dodæ, nupta erat. Nunquam sequuta est maritum in Lotharingiam. Hinc LAM-BERTVS SCHAFFNAVRGENSIS ad annum 1077. ait: *Hæc (nempe Mathildis) vivente adhuc viro suo (scilicet Godefrido Gibboſo,) quandam viduatis speciem longissimis ab eo spatiis exclu-*

fa

sa prætendebat; cum nec ipsa maritum in Lotharingiam extra natale solum sequi vellet: & ille Ducatus, quem in Lotharingia administrabat, negotiis implicitus, vix post tertium vel quartum annum semel Marcham Italican inviseret. Ex qua adducta relatione FLORENTINIUS Lib. I. acute conjicit, *Mathildem, Godefridum Gibbosum anno 1069.* aut in sequenti vinculis matrimonii sibi junxisse. BARONIUS in *Annal. Eccles.* ad a. 1024. n. 23. seq. nænias canit, dum putat, inter *Godefridum & Mathildem* intercessisse divorarium. Nullus enim antiquorum scriptorum hujus divorii mentionem injicit, ideoque recte refutavit illum *Celeb.* P. ANTONIVS PAGIVS in *Critica Anti-Baroniana* ad a. 1074. n. 2. ubi simul docuit, quod verba Gregorii VII. ubi *Mathildem* egregiæ indolis pueram appellat, eam conjugatam non fuisse, minime innuere; sed eam ætate juniorem significare, quia illa eo tempore vigesimum octavum annum agebat.

## §. XXI.

Sed hoc conjugium non diu duravit, sed morte *Godefredi* solutum anno 1076. quarto Kalend. Martii. vid. LAMBERTVS SCHAFFNABVRGENSIS ad h. a. Liberos haud reliquise innuit BARONIUS ad a. 1076. n. 38. cui error condonandus. Nam *Godefrido & Mathildi* filia erat, nomine *Beatrix*, quæ tamen mortua. Putavi quidem in *Comment. de Jure Dom. Brunswic. in Terr. Maibild. Cap. II. §. 6.* *Mathildis & Godefidi* conjugium sine prole fuisse; at quum postea *Constitut. Bullarie Coftnens. Tom. II.* relatam mihi inspicere licuerit, opinioni meæ non amplius inhærere possum. Supra (§. XIII.) jam adduxi, sed hic iterum id, quod ad scopum pertinet, repetendum esse arbitror. *Pro mercede animæ Godefredi Duci* quondam viri mei, & *pro mercede animæ Beatrix* quondam Neptis meæ, offero tibi Deo, & Sanctæ Mariæ virginī; & omnibus sanctis. Ex quibus adparet, *Beatricem* fuisse filiam *Mathildis & Godefredi Gibbos*, quia alias *Beatrix* illum non potuisset adpellare neptem.

## §. XXII.

## §. XXII.

*Mathildis Comes* vigesimum octavum annum agebat, quo maritus ejus *Godefridus Gibbosus* ad superos evolabat. Pontifici tenaciter adhærebat, & in totum ab obedientia Imperatorum deficere studebat. Hinc orta gravia inter *Henricum Imperatorem* & *Mathildem* bella, ubi in pœliis vario marte dimicatum. Et quum Pontifex *Urbanus II.* animadverteret, potentiam suam & *Mathildis* spiritum extremum trahere, nisi potenti principi mandaret defensionem, committeret tutelam, sibique chariorem redderet; auctor & suauis fuit *Mathildi*, ut *Guelphum* Bojorum Ducem sibi matrimonio copularet. *Mathildis* quamvis sexagenaria major, Pontifici aurem non denegabat, & huic matrimonio consentiebat. *BERTOLDVS CONSTANTIENSIS* ad a. 1039. apud VRSTISSVM pag. 362. In Italia, inquit, nobilissima Dux *Machthildis*, filia Bonifacii Marchionis, sed vidua Godefridi Ducis, *Welphonii* Duci, filio *Welphonis* Ducis, copulatur. Et hoc utique non tam pro incontinentia, quam pro Romani Pontificis obedientia, videlicet, ut tanto virilias Sanctæ Romanæ Ecclesiæ contra Schismaticos posset subvenire. Literæ, in quibus *Mathildis Guelphum* in Italiam venire invitat, memoriae prodidit *COSMAS PRAGENSIS* Lib. II. Chron. ad an. 1074. Sed quoniam, inquit, incidit nobis mentio de *Mathilda*, unum quod foemina viriliter, breviter referam, ne lectori fastidium inferam. Igitur, quum prædicta puella semper existens viatrix inter multa bella, patris sui post mortem vitam dicens coelibem, nimis amplum Longobardiae regeret regnum, visum est principibus terræ & Comitibus atque Episcopis, ut eam persuaderent, quo sibi acciperet virum, ne sine herede regalis celsitudo simul cum prole deficeret. Quæ adquiescens eorum consiliis misit ad Ducem Sueviæ (Bavarie) nomine *Welphum* literas, multa paucis continentibus verbis. Non ego foeminea levitate aut temeritate, sed totius regni mei pro commoditate, dirigo tibi has literas: quas quum acceperis, me accipe & totius regnum Longobardiae.

Dabo



Dabo tibi tot civitates, tot castella, aurum & argentum nimis infinitum; super omnia haec habebis nomen praetarum, si te facies mihi carum. Nec tamen me notes audacitatis eloquio; licet enim tam virili quam foemineo sexui legitimum adpetere conjugium. Nec differt, utrum vir an foemina primam auctoris lineam tangat, tantummodo indissolubile contingit conubium, quod aliter sit, nisi utrumque per consensum. Vale Reliqua adponere non placet, quia obscoena sunt, & non presumendum, *Mathildem* sexagenariam mulierem adhuc libidini fuisse deditam. Judicium BVRNNERI in Anual. Boic. ad an: 1095., de relatione COSMAE PRAGENSIS, hoc est: *Cosmae Pragensis*, inquit, *bircosa putidiorque omnibus cloacis narratio, nec fidem nec stationem meretur in casto libro.* Cui subjugimus, quod nullus scriptorum colloquii *Guelphi & Mathildis*, de quo COSMAS refert, mentionem faciat. vid. CHRON. WEINGARTENSE Cap. IV. ALBERTVS STADENSIS apud URSITIVM ad an. 1089. Omnia quae scriptores de impotentia *Guelphi* scribunt, solide resutavit V. G. LVDOV. ANTON. MVRATORIVS in Antichita Essensi Cap. IV. p. 19.

## §. XXIII.

*Mathildis* jure hereditario in pretiosas Italiae possessiones, veluti, Tusciæ Marchiam, Ferraram, Mutinam, Mantuam, Marchiam Anconitanam & Spolerensem ducatum &c. successit. Et quum *Guelphus* illam in matrimonium duxisset, ille etiam ut princeps in his territoriis habenas tenuit. Seruavit SIGONIVS Lib. IX. de Regno Italiae p. m. 232. diploma, in quo *Guelphus & Mathildis*, Mantuanis tributa remiserunt

Welfo Dei Gratia, Dux & Marchio, & Mathilda Dei Gratia si quid est. Qum Mantuani a nobis petierint, ut oneribus aliquot levarentur, & ut beneficiis adficerentur, quibus a majoribus nostris fuerant spoliati, ob eam rem nos civitatibus fide perspecta omnia tributa eis remittimus, holpitia condonamus, utraque ripam Mincii, Olii, & Tartari domus, per ditionem nostram

D

nostram

nostram tutos ire, vestigium & ripatici immunes jubemus,  
Mantua V. Kal. Julias Indictione XII. anno 1090.

Sed exscripsit hoc diploma SIGONIUS forsan ex alio. Nam v. c.  
MVRATORIVS in Antichità Estensi P. I. cap. XXIX. p. 280. Diploma  
publici juris fecit, quod anno 1090. confectum, &  
Mantuani Civibus concessum. Quare vix mihi temporo,  
quoniam totum Diploma cum benevolo lectore communicem.

In nomine sancte & individue Trinitatis. Guelfo Dei gracia dux,  
& Marchio, Matilda Dei gracia si quid est. Iustis petitionibus  
adquiescere, & nostros fideles honoribus & commodis ampliare  
per omnia nostram condecet potestatem. Quapropter omnium  
sancte Dei Ecclesie, nostrorumque fidelium tam faturorum  
quam praesentium noverit industria, qualiter nostri fideles Man-  
tuani Cives nostram adierunt clementiam, quoruimdam suorum  
concivium oppressiones relevati petentes, & Erimannos omnes,  
& communes res sue civitati a nostris praedecessoribus illis abla-  
tas sibi restitui postulantes. Et nos ob memorabilem eorum fa-  
delitatem, & servicium, iustis eorum precibus annuentes, o-  
mnes exactiones, & violentias non legales funditus deinceps  
abolendas, & radicibus extirpandas modis omnibus decernimus,  
& firmamus. Statuentes etiam, ut neque nos, neque nostri  
heredes, neque ulla magna, parvaque nostre potestatis per-  
sona, predictos Cives in Mantuana civitate, vel in suburbio ha-  
bitantes, vel deinceps habitatores, de suis personis, sive de il-  
lorum servis, vel ancillis, seu de liberis hominibus in eorum  
residentibus terra, vel de Ermanna, & communibus rebus ad  
predictam Civitatem pertinentibus ex utraque parte fluminis  
Mincii sitis, sive de beneficiis, libellariis, precariis, investitu-  
ris, seu etiam de omnibus eorum rebus mobilibus, & immo-  
bilibus adquisitis, vel acquirendis, inquietare, molestare, di-  
fusstire sine legali judicio, vel ad aliquam publicam exactio-  
nem, vel functionem cogere presumat. Sed & neque in pra-  
dicta Civitate in domo alicujus, vel in suburbio, in domo mi-  
litis, vel in caneva alicujus, illis invitis, hospitari audeat. In-  
super

super & illis restituimus omnes res communies, parentibus illo-  
rum concessas per preceptum Imperatorum, scilicet nominative Saccam, Sepringenti, & Carpenetam, & quidquid de Ar-  
manorio nobis hucusque retinebamus, sive per cetera loca in  
Comitatu Mantuano rejecantia, piscations & per fluminina, &  
paludes, scilicet utrasque ripas fluminis Tartari, deinde sursum  
usque ad flumen olei. De alia parte usque in Fossam altam.  
De tertia parte usque in Ecclesiam Sancti Faustini in caput Va-  
riana, & deinde seorsum usque in Agricia majore. Ut liceat  
illis pabulare, capulare, seccare, venari, & quicquid juris ipso-  
rum parentes antiquitus in illis habuerant. Decernimus etiam,  
ut liceat omnibus predictis civibus & Suburbanis per omnem  
nostram potestatem secure ire, & redire, sive per aquam & per  
terram quocumque voluerint, ita ut nec tholonicum, nec ripa-  
ticum dent. Et insuper illam bonam, & justam consuetudinem  
eos habere firmamus, quam quelibet optima Civitas Longobar-  
die obtinet. Quicumque vel nos suprascripti Dux Guelfo, &  
Comissa Matilda, vel nostri heredes, ut quelibet nostre po-  
testatis magna parvaque persona hujus concessionis, & restitutio-  
nis violator extiterit, libras auri centum componat supradictis  
Civibus, & suburbanis, illorumque heredibus, ita ut medi-  
etas expendatur in restauratione, & post penam solutam hec  
concessio, & confirmatio in sua remaneat firmitate. Et ut hec  
nostre confirmationis auctoritas stabilis, atque firma permane-  
at, hanc Cartam inde conscriptam manu propria, ut infra vi-  
derur, corroborantes, sigilli nostri impressione jussimus si-  
gnari,

DUX WELPHO SS MATILDA DEI GRATIA SI QVID EST SS.  
Data V. Kal. Julii Anno Dominice Incarnationis Millefimo No-  
nagesimo, Indictione Tertia decima. Factum est hoc Mantua.  
Quis itaque dubitet, quin *Guelphus* & *Matildis* magna au-  
toritate regiones enumeratas rexerint? Imperatorum ta-  
men indulgentia id factum fuisse, supra probatum dedi-  
mus.

## §. XXIV.

Sed quum inter Guelphum & Mathildem dissensus oriretur, hæc a marito anno 1095. divertit. Caussas hujus divor-tii investigant FLORENTINVS *Lib. II. p. 263.* BENED. BACCHINI in *Istor. del Mon. di San Bened. di Polir. Lib. III. p. 111.* conf. v. C. LVDOV. ANTON. MVRATORIVS in *Antichità Eftensi Cap. IV. p. 18.* Aegre id ferebat *Guelphus*, nostri Ducis pater, & adsi-stente *Henrico IV.* Imperatore, Mathildinas res recuperare voluit. *Mathildis* autem anno 1115. die 24. Mensis *Julii*, anno ætatis 69. extreum diem obivit, in castello Bondeni octo milliaribus ab urbe Ferraria sito. SIGONIVS sex & septuaginta annos eam compleuisse putat, & ita obitum ejus in annum reparatae salutis 1122. ponit; sed erravit. Nam certo certius constat, quod *Mathildis* anno *Christi* 1115. mortua sit, ceu BOMNIZO in *Vita Mathildis* apud LEIBNITZIVM Tom. I. *Scriptor. Rer. Brunsvicens. p. 685.* BARONIVS in *Annal. Ecclesiast. ad a. 1115. n. 8.* & P. ANTONIVS PAGIVS in *Critica Anti-Baroniana ad b. a. n. 7.* uno ore testantur. Sepeliebatur quidem in *Mo-nasterio S Benedicti di Pó di Lirone*, quod ejus avus *Tedaldus* condiderat; sed jubente Pontifice *Urbano VIII.* *Mathildis* offa, Romanam, anno 1635. asportata sunt, ac prope facellum *Gregorianum* sepulta. vid. GIVLIO DAL POZZO *l. c. p. 360. seq.* Id me in admirationem rapit, quod in Sanctorum numerum non-dum sit relata ideo, quia Romanam Ecclesiam amplis lati-fundiis ac possessionibus locupletavit, ornavit & Pontificis adseclæ de ejus amore, liberalitate ac fide, tam prolixe gar-riunt. De *Mathilde* ejusque progenie, confer sis, GIVLIO DAL POZZO, *Maraviglie Heroiche del Seffo Donnesco Memorabili net-la Duchessa Matilda.* Veronæ. 1678. quem librum, vir magni atque excellentis ingenii PERILL. DN. de LVDEWIG, cuius no-men mihi semper magnum ac venerabile fuit, nobiscum be-nevole communicavit.

CAP. II.

## CAP. II.

*NVM MATHILDIS BONA SVA PONTIFICI  
DONAVERIT?*

## §. I.

**O**rdimur argumentum momentosum. Scriptores Pontificii Romanæ Ecclesiæ adstant; Germani, Imperatori favent. Neque in tanta rerum obscuritate pæne omnes aliquid certi definitiunt. Nos, inspectis tabulis a Scriptoribus Pontificiis relatis, ac pro aris & focis defensis, aliam opinionem fovimus. Fictitia atque supposititia sunt documenta, quæ in proscennium quasi producuntur. Paradoxon id videtur. Sed paradoxon non statim est rejiciendum. Videamus igitur testamentum *Mathildis*, in quo Pontificem heredem, tam late patentium provinciarum instituit.

## §. II.

Certo certius quidem constat Comitem *Mathildem* a tenera ætate Pontificibus Romanis adhæsisse. Id ex Scriptorum rerum Germanicarum Chronicis & DOMNIZONIS Carmine haud obscure evincitur. BARONIVS in *Annal. Ecclesiast.* & ANTONIVS PAGIVS in *Critica Anti-Baroniana* idem produiunt. Sed ideo non putandum, ac si tunc bona Pontifici donayerit. BARONIVS ad an. 1077. n. 23. 24. refert; quod *Maihildis* omnia sua bona *Gregorio VII.* summo Pontifici obtulerit. Ad hoc probandum, sequentes DOMNIZONIS versus recitat.

Postposuit Regem, per tres tenuit pia mensa  
Gregorium Papam, cui servit ut altera Mariba,  
Auribus intentis capiebat sedula mentis  
Cuncta patris dicta, ceu Christi verba Maria,  
Propria Clavigero sua subdidit omnia Petro,  
Janitor est coeli suus heres, ipsaque Petri  
Accipiens scriptum de cunctis Papa benignus.

D 3

Sub-

Subdit BARONIVS, ejusdem donationis autographum periisse, sed alio scripto hanc donationem esse renovatam.

§. III.

Sed quis crederet, in re tanta DOMNIZONI *presbytero*, homini semibarbaro, Pontifici tenaciter adhaerenti, in Imperatores venali calamo sacerdenti? Id adnotarunt LEIBNITZIVS in *Prefat. Tom. I. Scriptor. rer. Brunsuicens. & Celeb. IOECHERVIS* in dem gelehrten Lexico v. DOMNIZO. BARONIVS quidem, ad suam sententiam corroborandam LEONEM OSTIENSEM citat, qui *Lib. III. cap. 48.* sic differit: *Anno, inquit, Dominice incarnationis MLXXIX. Mathildis Comitissa Henrici Imperatoris exercitum timens, Liguriam & Tusciam provincias Gregorio Pape & Sanctae Romanæ Ecclesiæ devotissime obtulit.* Vnde in primis causa seminandi inter Pontificem & Imperatorem odii initium fuit. Sed LEO OSTIENSIS etiam magna diligentia Pontifici officium suum praefstat, quippe qui Cardinalis atque Episcopus, non nociva Romanæ Ecclesiæ scribere debuit, sed ad officium, ejus potentiam augendi, splendorem amplificandi, obstrictus fuit.

§. IV.

Quum autem Chartula donationis, teste BARONIO, nullibi extarer, & Pontifex ac Mathildis reverenter, ne aliquando haec donatio intringeretur, aliud testamentum in favorem Pontificis Mathildem condidisse, idem BARONIVS auctor est *ad an. 1102.* At priusquam hoc subjungimus, nobis sententiam nostram aperire licet. Nam si Pontifex tales donationes, ditionum tam late patentium, manibus tetigisset; vix mihi persuadere possum, quin chartulas in tabulariis, seu alio loco, tanquam *sepiñla* adservasset. Pontifices enim non tam stupidi sunt, ut ea documenta, in quibus Romanæ Ecclesiæ bona donata sunt, negligant; sed experientia docet, eos in tabularia ea condidisse, & velut centum clavibus servasse, custodemque constituisse, qui instar Cerberi omnes prohiberet ab introitu.

§. V.

## §. V.

Maximum autem exoritur dubium, si literas a COSMA PRAGENSI relatas & supra a nobis adductas, penitus inspiciamus. Constat, *Mathildem anno 1089 nupsisse Guelpho*, & ab eo anno 1095. divertisse. Testamentum *Mathildis*, BARONIVS confectum putat anno 1077. quinto anno Pontificatus Gregorii VII. Postea suasu Pontificis *Urbani anno 1089*. *Mathildis Guelpho* matrimonio conjuncta est. Si itaque testamentum *Mathildis* jam anno 1077. scriptum, adparuissest; sane Pontifex *Urbanus II.* non suasisset *Mathilde*, ut *Guelpho* Bojariae Duci nuberet, quippe facile intelligere potuisset; *Guelphum* Ducem omnes *Mathildis* regiones matrimonii sui caussa vindicare posse, & ita Romanam Ecclesiam grave damnum pati. Accedit, quod supra COSMAE PRAGENSIS testimonium citatum, ubi *Mathilda* in literis ad *Guelphum* Ducem directis ei omnia bona promittit, si in Italiam venire, illamque sibi matrimonio jungere vellet. Deinde in BENEDICTI BACCHINI libro quantivis pretiis, *Istoria del Monasterio di San Benedetto di Po di Lirone*, extant pacta dotalia inter *Guelphum* & *Mathildem* inita, in quibus ea *Guelpho* marito omnia bona donavit. Scribo hoc fide FELLERI & CL. ZSCHAKWITZII. FELLERVS in Monumentis ineditis id adnotavit, ubi etiam multa singularia de *Mathilde* tradit, quae alibi frustra quæsiveris. CELEB. ZSCHAKWITZIVS autem, in den Rechts-Ansprüchen P. II pag. 415. n. 6. oit. Vermuthlich stehen sie (diese pacta dotalia) in des BACCHINI Storia del Monastero di San Benedetto di Polirone, der viel schöne documenta angefüget, vorjeko aber nicht bei der Hand ist. Mihi nunquam, licet hunc libellum inveniendi sedulo operam dederim, inspicere licuit. Nescio itaque quo facto contigerit, quod nullib[us] extet. G. C. de LEIBNITZ in *Introduct. Tom. I. Scriptor. Rer. Brunsicensi* n. 40. ad hæc dotalia pacta provocare videtur: *Tabulis, inquit, pacis matrimonialis dotalibus lex scripta erat, ut si superstes maritus esset divisiones conjugis haberet.* Etiam mentionem horum pactorum facit v. c. MVRATORIVS in *Annotac.*

chità Eßensi Cap. IV. p. 20. Hinc concludo, quod si in favorem Ecclesiæ Românæ testamentum *Mathildis* extitisset, Pontificem ex minime suassisse, ut iniret matrimonium, & non nisi ægre tulisse, si ea in paëtis dotalibus marito omnes ditiones & bona donarit. Et sane *Guelphus Dux* omnem terram *Mathildis* sub potestate sua tenuit, rexit, subditique paruerunt eius imperio, ceu videre est ex ejus diplomate quod publicatum a MVRATORIO, a nobis autem supra (Cap. I. §. XXIII.) relatum. Magis dicta confirmat adsertio BERTOLDI CONSTANTIENSIS ad an. 1095. Unde, ait, pater *ipius Guelphi* in Longobardiam nimis irato animo pervenit, & frustra diu, multumque pro hujusmodi reconciliatione laboravit. *Ipsum etiam Henricum* (Imperatorem hujus nominis quartum) sibi in adjutorium adscivit, contra dominam *Mathildam*, ut ipsam bona sua filio dare compelleret, qnanius nondum illam in maritali opere cognosceret. Unde diu frustra laboratum, Ex dictis BERTOLDI itaque auguror; si *Guelphus* non habuisset fundatam caussam, *Mathildem* ad pollicita efficienda adigendi; vix est credibile, quod a *Mathilde* bona, filio *Guelpho* promissa, postulasset. Neque Imperator *Henricus IV.* se *Guelphis* adjunxit, ad compellandam *Mathildem*, ut *Guelpho* juniori promissa bona restitueret. vid. GIVLIO DAL POZZO l. c. p. 286. 87. V. C. MVRATORIVS in Antichitá Eßensi Cap. IV. p. 20. Quocirca mirum dictu, Pontificem instrumentum donationis non opposuisse quum tamen, ut scriptores Pontificii tradunt, habuerit. Nunquam autem id factum esse legimus. Hinc corruit adserendum DOMNIZONIS, fide destituitur testimonium LEONIS OSTIENSIS, & BARONII relata sunt suavibus somniis adnumeranda.

## §. VI.

Fictitia itaque est hæc donatio atque manebit semper, quamquam speciosis verbis cōvestita. Sed ecce! *Causidicus* noster BARONIVS, quum prius testamentum distractum esse putat, novum, anno 1102. scriptum, nobis obtrudit in *Annal. Ecclesiast.* ad an. 1102. n. 20. Noviter id produxit GIVLIO DAL

POZ-

POZZO, *Maraviglie heroiche dal Sesso Donnesco, memorabili nella Duchessa Matilda p. 483.* Valde miror PERILL. G. G. de LEIBNITZ, hanc donationis spuriam chartulam *Tom. I. Scriptor. Rer. Brunsv.* inseruisse, quod etiam fecit V. C. LVNIGIVS. At priori similis furfuris esse videtur, licet BARONIVS puerilibus crepundiis consentanea petulantí calamo defendat. Demus itaque decantatum testamentum, examinemus, & nostrum judicium subjungamus.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno ab incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo centesimo secundo, quintodecimo die Kalendas Decembris, indictione decima, tempore Gregorii Septimi Papæ in Lateranensi Palatio, in cappella Sanctæ Crucis, in præsentia Cencii Frangipani, Gratiani, Cencii Franculini, & Alberici de Petro Leone, & Benincasa fratr̃ ejus, Alberti de Tuscio, & aliorum plurium, ego Mathilda dei Gratia Comitissa pro remedio animæ meæ, & parentum meorum, dedi & obtuli ecclesiæ Sancti Petri per interventum Domini Gregorii Papæ Septimi omnia bona mea jure proprietario, tam quæ tunc habueram, quam ea quæ in antea adquisitura eram, sive jure successionis, sive alio quocunque jure ad me pertinientia: & tam ea quæ ex hac parte montium habebam, quam illa quæ in Ultramontanis partibus ad me pertinere videbantur. Omnia (sicut dictum est) per manum domini Gregorii Septimi Papæ Romanæ Ecclesiæ dedi, & tradidi, & chartulam inde fieri rogavi. Sed quia chartula nusquam adpareret, & timeo ne donatio & oblario mea in dubium revocetur: ideo quæ supradicta Comitissa Mathilda iterum a præsenti die dono & offero eidem Romanæ Ecclesiæ per manum Bernardi Cardinalis, & legati ejusdem Romanæ Ecclesiæ, sicut in tempore dedi per manum domini Gregorii, omnia bona mea, tam quæ nunc habeo, quam quæ in posterum Deo propitio adquisitura sum, & tam quæ ex hac parte montium, quam in ultramontanis partibus habeo, quam quæ in posterum Deo propitio adquisitura sum alio quocunque jure, pro mercede & reme-

dio animæ meæ, & parentum meorum. Que autem ista bona  
mea juris mei superiorius dæta, una cum accessionibus & ingres-  
sibus seu superioribus, seu inferioribus qualiter supra legavi  
integro ab hac die eidem Ecclesiæ dono & offero, & per præ-  
sentem chartulam offertionis itidem habenda confirmo. Insu-  
per per cultellum, fætucam nodatam, guantoneum, & gurra-  
scionem terræ, atque ramum arboris, & me exinde foras expu-  
li garpini, & absente me feci, & a parte ipsius ecclesiæ ha-  
benda taliqua facienda exinde Papæ, aut cui Papa illius ecclesiæ  
dederit a præsenti die quidquid voluerit, sine omni mea & he-  
redum & proheredum meorum contradictione. Si quid vero  
( quod futurum esse non credo ) sive ego Comitissa Mathilda  
( quod absit ) aut ullus de heredibus aut proheredibus, seu quæ-  
libet apposita persona contra hanc chartulam offertionis quan-  
doque agere tentaverimus, aut eam per quodvis ingenium in-  
fringere quæsierimus: tunc inferremus in illam partem, contra  
quam exinde litem inferre contulerimus, mulctam, hoc est pec-  
nam, auri optimi libras mille, argenti pondera quatuor millia,  
& quod reperierimus, vendicare non valeamus. Sed ut præ-  
sens hæc chartula offertionis omnibus temporibus firma per-  
maneat atque persistat, eam pergamenam cum atramento de ter-  
ra levavi, paginam Guidoni tradidi, & scribere rogavi, atque  
subter confirmans, testibus obtuli roborandam.

Aëtum Canusii feliciter.

Mathilda quidquid est, in hac Charta a me facta subscripta.

Ego Adericus judex interfui & subscripti.

Ego Ubaldus judex interfui & subscripti.

Signum manus Attonis de monte Burrabzonis & Bonvincini  
de Canusio.

Rogati testes.

Ego Guido Notarius Palatii scriptor hujus chartulæ offertionis,  
post traditam complevi & dedi.

§. VII.

VIR PERILLVSTRIS atque EXCELLENTISSIMVS IOH. PETR. de

LV-

LVDEWIG, cuius nomen pie veneror, de hac donatione grave habet judicium: *Habet, inquit, hæc schedula, juxta umbratiles formulas, vere nihil: quod mereatur in re tanti momenti expendi.* *Meis naribus olet commentaria, indigna, quæ tantæ principi & illius curie adsingatur.* vid. Sing. Jur. Publ. p. 422. n. 439. Addimus huic sententiæ candidissimum calculum, & hanc donationis chartam spuriam, fictitiam atque subdole excoxitatam pronunciamus. Nam 1) repetitur in hoc instrumento prior donatio, facta Pontifici. Neque annus neque dies reperiuntur. Vix itaque credere possum, si facta fuisset donatio, ejus chartulam eo tempore non amplius extitisse, neque in tabulario Pontificis, neque penes *Mathildem*. 2) Nulla fit mentio rerum Ecclesiæ Romanæ a *Mathilde* donatarum. Romani Pontificis adseclæ quidem statim reponunt, eas fuisse Tuscia Marchiam & omnia bona *Mathildis*. At ex hoc instrumento non liquido adparet: num donatio omnium bonorum intelligenda sit de *Tuscia, Mantua, Luca, Ferrara &c.* 3) Non injicitur mentio *Paschalis II. Peri Clavigeri*, cui tamen donationem hanc esse factam, dicunt. 4) In inscriptione, temporum ratio non computatur ad annos *Henrici Imperatoris*, quum tamen constet; *Mathildem* post obitum *Conradi*, filii Imperatoris *Henrici IV.* id fecisse, ut docet *FLORENTINIVS* in sepe laudato *Commentario Lib. II. p. 277.* ubi diploma recitat, quod sic se habet: *In Dei nomen Amen! Anno ab incarnatione eiusdem 1099. regnante Imperatore Henrico Id. 8. Septembbris indictione VIII. Ego Domina *Mathilda Ducatrix &c.** 5) BARONIO ipso fatente, αὐτόγεαφοι hujus diplomatis non extat, sed relatum est in Codice Vaticano, quo ejusmodi publica monumenta descripta leguntur. Addit, ipsum jam antiquitate nonnihil læsum. Quod meam opinionem eo magis firmam reddit, hanc chartulam tempore noviori esse scriptam. Sed mi BARONI, neque tu, neque tuus *Vaticanus Codex* quid probant, licet tu, quo es stupido ingenio, illo præciliiter sis deceptus.

## §. VIII.

Accedit 5) quod fere omnes scriptores fileant de hac donatione. Non ignoro, adversarios testimonium *Godefriai Monachi* objicere, qui refert: *Mathildam* decrepitam circumventam a Papa, Marchiam Anconitanam, Imperium attinentem, quam regebat, magistratibus & potestatibus insciis & inconsultis B. Petro tradidisse. Sed diversa est hæc relatio a testamento *Mathildis*, & nemo nescit, *Godefridum* fuisse hominem Pontifici addictum, imperatoribus autem infensum. TRITHEMIVS in *Chron. Hirsaugiens.* eadem prodit memoriae. Sed recentior scriptor forsan *Godefridum* exscripsit. Quid? quod *Godefidi* testimonio advocatos Pontificis ferire possimus? Sed non est. Sistam tibi Scriptorem Pontificium, qui de hac donatione valde dubitat. Indigit BLONDVM eximum Historicum, qui *Dec. II. Lib. IV.* sequentem in modum differit: *Mathildam*, inquit, *Mariinus Polonus* & alii ipsum sequuntur. Scriptores mulci tradunt Hetruria partem, hinc a Piscia agri etiam finium opido, ad inferum mare quam Patrimonium Sancti Petri adpellant, Pontifici & Romanæ Ecclesie donasse. Hostiarius, qui omnibus, quæ apud Pontificem ejus temporis gesta sunt, & ad superfluitatem multa scripsit, nullius loci meminit. Sane si Mathildina donatio esset genuina, scriptor rem tanti momenti silentio haud præteriisset. BARONIVS antea vidit, BLONDI adserta esse destruenda, si sua relata vera esse deberent. Hinc in *Tom. I. Annal. Eccles. Praefut.* §. XII. de eo ait: quod sit recentior auctor, ejusque prolata de rebus antiquis sine alicujus vetustioris testimonio contemnerentur. Quod quam sit plumbeum, semisomne & Cappadocium, unusquisque videt. Potius contra Baronium gerronem hoc judicium est ferendum, quam contra BLONDVM. Sed me summopere admirantem facit, quod apud P. ANTONIVM PAGIVM in *Critica Anti-Baroniana*, de Dono Mathildino altum sit silentium. Nam si occasionem de *Mathilde* differendi habet, contentus est dicere: *Mathildi* Ecclesia Romana multum debet. Hinc opinor,

opinor, eum, aut hanc donationem pro genuina habuisse, & nihil de re satis nota dicere voluisse; aut illam spuriam credidisse, & rem tanquam odiosam intactam reliquisse.

## §. IX.

Sed ARNOLDVS LVBECENSIS in *Chron. Slavor.* Lib. III. cap. 10. nova gignit, dum tam Pontifici, quam etiam Imperatori Friderico ænobarbo testamenta adscribit. *Tractabant*, inquit, inter se dominus Papa, & Imperator de patrimonio dominæ Mechthildis, matrone nobilissimæ, quod Imperator in possessione habebat, dicens ab eadem imperio collatum. Et e converso dominus Papa Sedi Apostolice ab ea datum adfirmabat. Cumque in argumentum probandi, ex utraque parte privilegia porrigerentur, nulla fine causa terminata est. Sed nugatur ARNOLDVS. Neque enim Pontifex, seu ostendimus habuit tale testamentum, neque Imperator, quippe de quo apud alios Scriptores neque vola neque vestigium ullum. Jam ante me id vidit & de fide testimonii ARNOLDI dubitavit DN. MASCOVIVS de *Jure Imperii in Magn. Errur. Ducat. Sect. I. §. 9.* Promisit B. HAHNIUS in der Reichs-Historie p. III. p. 103. Opus de *finibus Imperii*, ubi etiam hanc spuriam donationem impugnare voluit, sed morte præventus, promisso stare haut potuit.

## §. X.

Sed fingamus, donationis chartulam esse genuinam, non nullorumque scriptorum testimonia vera; aliud tamen est *q̄d in qua*: an *Mathildis bona sua Pontifici donare* potuerit? de quo nunc disceptandi locus est. Breviter hoc problema respondemus, ne videamus falcem in alienam messem immittere, quum jam *Perill. Dn. Canc. de LVDEWIG*, vir laude nostra multo major, ut & MASCOVIVS, STRVVIVS, GVNDLINGIVS sterile hic araverint solum. Principio marchiones Tusciae, imo omnes Italiae Principes, ut *Vir Perill. Dn. de LVDEWIG*, felicissimus Juris, publici interpres, in *Sing. Jur. Publ.* docuit, territoria nomine Imperatorum tanquam administratores, *Gouverneurs* rexerunt, conf. elegantem Epistolam de Mons. Refuge

fuge a Mons. d' Hozier scriptam, & prelo mancipatam a Fellerio in der Genealogischen Historie des Braunschweig-Lüneburgischen Hauses Cap. V. §. III. n. p. 130. ad prime facientem ad hanc rem. Inter hos administratores etiam eminuerunt Marchiones Tusciae *Mathildis* majores. Tempore Conradi *Salicis*, *Bonifacius* pater *Mathildis*, ut supra dictum, majori cum auctoritate in Tuscia aliisque adductis provinciis regnavit. Verum enim vero nexus harum ditionum cum Imperio Germanico nunquam evanuit, licet postea *Mathildis*, regnante *Henrico IV.* Imp. semel iterumque tentaverit, se imperio & Imperatori subtrahere. De Bonifacio expedita res est, quippe qui in sententia Lucæ 1047. pro Episcopo lata, & poena in violantes statuta pronunciat: medietatem camerae domini Imperatoris inferendam esse. *FLORENTINIUS c. l. in Append. n. 5.*

## §. XI.

*Beatrix* vidua *Bonifacii* eodem jure quo maritus, cum familia *Mathilde*, in amplissimis provinciis regnavit, sub reverentia tamen imperatorum, ut decretum regali auspicio latum & a nobis supra (Cap. I. §. XVII.) exhibutum, uberrime docet. Sed turbato sub *Henrico IV.* Imp. Reipublicæ Germanicæ statu, quo inimici & amici adversarii ejus se dabant, *Mathildis* majorem auctoritatem consequita est. Descivit quidem ab Imperatoribus, sed ad obedientiam redacta, Imperatoris majestatem iterum venerata est. Etiam Imperatori *Henrico V.* quum coronationis causa anno 1110. Romam pergeret, obsequium professa est. CONRADVS VRSPERGENSIS ad an. 1110. *Parmam*, ait, *perveniens Mathildem Comitissam per interuncios sibi subiectum, gratia sua, propriis iustitiis donavit*. Fuerunt bona *Mathildis* imperii allodia, docente STRVVO in pererudita *Diss. de Allodiis Imperii*. Hinc diiudicanda est quaestio: num *Mathildis* ea Pontifici donare potuerit? Quod negat STRVVIUS fidenter, nos fidentissime. Nam *Mathildis* nullum habuit jus Pontifici amplissima hæc territoria donandi, quia in præjudicium imperii tendebat. Et quid respondent

Ro-

Romanæ Ecclesiæ advocati ad pacta dotalia inter *Guelpham* & *Mathildem* confecta. Sane Ducibus Serenissimis ex Guelphica Domo ortis, hoc jus succedendi non potuit adimi. Sed quid amplius inhæremus? Finem huic capitii imponimus. Sufficiat docuisse, famosam Mathildinam donationem esse spuriā, falsam artibusque Portocarerī exaratam.

CAP. III.

*NVM PONTIFEX INNOCENTIVS II. IMPERATORI LOTHARIO II. EIVSQUE GENERO HENRICO MAGNANIMO MATHILDINAS TERRAS IN FEVDVM DEDERIT?*

§. I.

**C**oncluderemus libellum; nisi adhuc momentosum superesset problema: Num Pontifex *Innocentius II. Imperatori Lothario II.* ejusque genero *Henrico Magnanimo* Mathildinas Terras in feudum dederit? Mirum est dictu, eruditos hoc affirmare, quum tamen literis investituræ inspectis, recte riteque examinatis, luce meridiana clarius fiet; Diploma a BARONIO in *Annal. Eccles. ad an. 1133. n. 3.* relatū, monstrō esse simile, quod statim ex capite dignoscitur. Priusquam vero diploma investituræ sub examen revocamus, nobis, quis status Terrarum Mathildinarum post *Mathildis* decessum fuerit, hic dicendi erit locus.

§. II.

Obiit *Mathildis anno 1115*. Sceptra Imperii Germanici tenebat *Henricus V.* claves Petri vero, Pontifex *Pascalis II.* Statim, quum Comes *Mathildis* animam efflaverat, *Henrico V.* Imperatori ejus obitus nunciabatur. Prodit hoc nomenclariæ *CONRADVS VRSPERGENSIS ad an. 1115*. Directi, inquit, ab Italia nuncii obitum illius inclyse *Mathildis* nanciant, ad ejusque prædiorum terras amplissimas hereditario jure possidendas Cæsarem

40 CAP. III. Num Pontifex Innocentius II. Imperatoris

sarem (Henricum V.) invitavit. Sed etiam legitimus Henricus V. Mathildinas Terras jure sanguinis vindicasse. Hinc ANSELMVS GEMBLAC. CONTIN. CHRON. Sigeb. Gemblac. Henricus, ait, *imperator in Italiam secedit propter asperos motus regni, & maxime propter Marchisæ Mathildis cognatæ suæ, quæ recens objerat, hereditatem obtainendam.* vid. CONTELORII Genealogia Mathildis Cap. II. p. ANTON. PAGII Critica Anti-Baroniana ad an. 1070. n. 14. En stemma Genealogicum.

Hermannus, Dux  
Sueviæ

Mathildis, uxor Friderici II. Ducis Lotharingiae	Gisela uxor Conradi II. Imp.
Beatrix uxor Bonifacii Tusciæ Marchionis.	Henricus III. Imp.
Mathildis.	Henricus IV.
	Henricus V.

§. III.

Sed jus sanguinis cum *Mathilde* Imperatori *Henrico V.* nullum jus succedendi tribuit; quippe propter arctam adfinitatem *Mathildis* cum *Guelphis* principibus, atque pacta dotalia, *Guelphica* Domui jus succedendi non poterat eripi. Hinc putrido, immo nullo fundamento jus Imp. *Henrici V.* succedendi, nititur. Potius ideo fecit imperator, quia haec terra-toria imperio Germanico aeternum fuerant insuta atque in-nexa.

§. IV.

Unde *Henricus V.* arripuit successionem in *Mathildica*. CONRADVS VRSPERGENSIS ad an. 1115. *Imperator*, inquit, una cum *Regina* totaque domo sua, ac circa Padum negotis insistens regni, legatos ad Apostolicum &c. destinavit. Et PETRVS DIAT CONVS

CONVS Lib. IV. Chron. Casinens. cap. 60. *Henricus Imperator, qui defuncta Mathilda tunc apud Liguriam degebat gratia disponendarum rerum illius.* Hæc confirmant diplomata, eo tempore scripta. Sic extat tale diploma anno III5. die 20. Septembris Spiræ confectum, & aliud anno III6. die 12. Maii exaratum, de quibus vid: CELEB. MVRATORII Antich. Eßens. Cap. XXX. p. 292. 93. Pontifex id æquo animo tulit, neque Imperatori obstitit. Hinc novum exoritur argumentum, quod si testamentum Mathildis in Pontificis favorem extitisset, sane ille imperatori obstitisset, ad jus suum firmum reddendum. At quando id factum legimus? neque querelas movit Sanctus Pater, quum hunc opimum bolum Imperator ei eriperet.

§. V.

Docuit Gundlingius de *Iure Imperii in Magn. Etrur. Duct.* Cap. I. §. 21. *Henricum Imperatorem in Tuscia pro legitimo successore Mathildis fuisse agnatum.* Id colligit ex DOMNIZONE, qui canit:

*Cæsar honorat, teque decorat, sis sua semper,  
Plangere noli, culmen honoris, tu retinebis:  
Cæsaris hostes, sint procul omnes, ipse beetur.*

Valde miror, DOMNIZONEM presbyterum, qui antea Pontifici adhærebat, nunc totum pro Cæsare esse. Sed temporis causa faciebat. vid. v. c. LVDOV. ANTON. MVRATORII Antich. Eßens. Cap. XXX. p. 293. qui etiam docet, quod *Henricus V. Mathildinas terras quiete possederit, nullasque querelas Pontifex ea de re moverit.*

§. VI.

Extincto *Henrico V. principes Imperii Germanici Lotharium II. Saxonem*, eligebant Imperatorem. Eo tempore Schisma exortum erat in Ecclesia. *Pontifex Innocentius II. in Germaniam proficisci*batur, & auxilium ab *Imperatore Lothario II. contra Pseudo Papam Anacletum* petebat. Honosifice exceptus a Lothario in Italiam redit, & Imperator qui jam per spatium novem annorum sceptra in Germania tenuerat, tandem Italiam petebat, ut Romæ a Pontifice coronaretur. Neque annus neque dies, quo coronatio facta, adparceret, nisi

F

CHRO-



CHRONOGRAPHVS HILDENSEMENSIS, qui eo tempore vixit, adcurate id adnotasset. *Rex, inquit, ad a. 1133. Natalem Domini apud villam Medicinam dictam celebravit. Per Italiam pleraque loca munita sibi resistentia capit. Tandem II. Kalend. Martias Romanum cum multo favore ingreditur, ibique II. Non. Junii, quo tunc dies dominica exiit, Lateranis in Basilica S. Johannis Baptista a Domino Apostolico Innocentio in Imperatorem consecrat.*

## §. VII.

Putant nonnulli *Lotharium Imperatorem* tum temporis Imperium Germanicum a manibus Pontificis accepisse. Errore SIGONII Lib. XI. de Regno Italiæ p. 264. 65. decipiuntur. Versus ille recitat, qui feudalem contractum sic exprimunt:

*Rex venit ante fores iurans prius urbis honores;  
Post homo sit Papæ, sumit quo dante coronam.*

Addunt, quod pictura Romæ fuerit, ubi Imperator flexis genibus coronam a Pontifice accipit. At quum *Celeb.* SIM. FRID. HAHN in der Reichs-Historie P. III. p. 185. lit. g. iam istam fabellam exploderit, non est quod tempus impendamus recoctioni. Pictura est famosa, etiamque versus a Pontifice excogitati sunt. Forsan id factum esse videtur tempore *Conradi III. Imp.* quum Italiae miserrimus esset status, man wusste nicht wer Koch oder Kellner war. Magis sententiam nostram stabilire videtur, quando simile pene quid legimus in Annalibus, tempore *Friderici I.* scriptis. Pontifex legatum ad eum mittebat, qui in præsentia Imperatoris, nomine Papæ dicere non dubitabat: *se non poenitere beneficij in Cæsarem collati.* Quod autem *Otto de Wittelsbach Comes Palatinus ad Rhenum adeo ægre ferebat, ut gladium stringeret, & legatum Pontificis fere transfoderet, nisi Imperator prohibuisset. Taceo picturam famosam, ubi *Alexander III. Pontifex, Imperatorem* pedibus conculcat, quam hodienum *Rome & Venetiis* adhuc extare, multi testes oculares, uno ore testantur, quum tamen etiam omnia hæc, ceu viri eruditii docuerunt anilibus fabulis sint adnumeranda.*

## §. VIII.

Sed nuper *Vir Clariss. Dn. WIEDEBURG* in *Diurnis Hallens. N.* III. aliam istorum versuum interpretationem facit, nimirum, quod investituram *Lotharii II.* cum *Mathildinis* terris indigitent, &

& concludit coronationem & investituram uno actu esse factam. Quāvis vero hæc conjectura sat ingeniosa sit, non tamen *Celeb.* AVCTOR persuadebit, (quod pace ejus dixerim) ut eandem opinionem foveamus. Nam quod attinet, *Lotharium II.* a Pontifice terris Mathildinis fuisse investitum, nos in totum negamus, moxque censuram huius diplomatis subjungamus. Altera autem opinio, quod coronatio una cum investitura facta sit, contra fidem scriptorum est. Nam antea allegatus CHRONOGRAPHVS HILDENS-HEIMENSIS, coronationem II. *Nonas Junii* factam esse, scribit; investituram vero, ceu diploma docet, *Sexto Idus Junii* peractam. Igitur a die coronationis, usque ad diem investiturae, intercedit spatium IV. dierum. Est hoc ideo verissimum, quia argumenta ex Chronologia defumta, sunt validissima.

§. IX.

Sed e diverticulo in viam. Videamus investiturae diploma, a BARONIO in *Annal. Eccles.* ad an. 1133. n. 3. relatum, quod sic se habet.

Innocentius Papa II. Lothario Imperatori Augusto & Regi & Imperatrici. Si auctoritas sacra Pontificum, & potestas Imperialis vere glutinatio charitatis ad invicem complentur. Omnipotenti debitus famulus libere poterit exhiberi, & Christianus populus grata pace & tranquillitate gaudebit. Nihil enim in praesenti seculo est Pontifice clarius, nihil Regi sublimius, nihil est quod lumine clariore præfulgeat, quam recta fides in principe, nihil est quod ita nequeat occasui subiacere quam vera religio. Quæ nimur omnia tanto manifestius, Deo gratias in persona tua clarescunt, quando ab ineunte ætate amator religionis, & cultor justitiae extitis cognosceris, & novillime diebus istis, nec persona tua, nec propria parcendo pecunia pro beati Petri servitio multos labores, & immensa pericula pertulisti. Quum ergo testante sacro eloquio, etiam mali patres bona data filiis suis debeant imparire: dignum profecto est, ut nos qui disponente Domino, universis Catholicæ Ecclesiæ filiis debemus sollicitudine paterna consulere, personam tuam arctius diligamus, & tanquam specialissimo Ecclesiæ defensori, in his quæ ad statum imperii in suo robore conservandum, & utilitatem ac liberationem catholicæ ecclesiæ spectare noscuntur, tam secundum ecclesiasticum officium, quam temporaliter imperatoriam potentiam augemus. Hoc nimur intuitu Allodium bona memorie Comitis Mathildæ, quod utique ab ea Beato Betro constat esse collatum, vobis committimus, atque in praesentia fratrum nostrorum archiepiscoporum, episcoporum, abbatum, nec non principum & baronum per annulum investimus; ita videlicet, ut

centum libras argenti singulis annis nobis & successoribus nostris exsolvas, & post tuum obitum proprietas ad jus & dominium S. R. E. cum integritate absque diminutione & molestia revertatur. Quod si noi vel successores nostros in eandem terram venire, manere, transire oportuerit; tam in susceptione, quam in procuratione, atque securo conductu, prout apostolica sedes decreverit, honoremur. Qui vero arces temerit, vel rector terre fuerit, B. Petro, & nobis, nostrisque successoribus fidelitatem faciant. Exterum pro charitate vestra, nobili viro, Henrico Bavariae Duci, genero vestro, & filia vestra uxori ejus, eandem terram cum praefato censu, & supradictis conditionibus, Apostolica benignitate concedimus; ita tamen, ut idem Dux hominum faciat, & fidelitatem S. Petro ac nobis, nostrisque successoribus juret. Post quorum obitum prædictum Comitissæ Mathildis allodium ad jus, & dominium S. R. E. sicut supra dictum est, integrum & absque diminutione atque difficultate aliqua reducat: salvo tamen semper in omnibus ejusdem S. R. E. jure ac proprietate. Datum Laterani Sexto Idus Junii.

## §. X.

Est hoc decantatum atque famosum investituræ diploma, quod BARONIVS publici juris fecit. Eruditi illud pro genuino vendidant. GVNDLINGIVS in *Discursu (\*) Historie S. R. I. in vita Lotharii II. Imp.* putat: adesse diploma, quod omnem contradictionem excluderet. Taceo alios eruditos, qui pro veritate ac fide hujus diplomatis, se se mirum in modum anxieque torquent. Nuper in *Comment. de Jure Dom. Brunsuic. in Terr. Mathild.* hoc diploma argueram falsitatis; sed festinanti calamo scribens, non omnia attigi. Quare quem hic latissimus sit differendi campus, diploma examinemus nostramque sententiam magis magisque firmam reddamus. GVNDLINGIVS in *Diss. de Jure Imp. in Magn. Etrur. Ducat. Cap. I. §. 23. p. m. 24.* hac de re differens, hoc argumentum leviter tractat, moxque stationem deserit. Vix, inquit, ad causam nostram pertinet, utrum etiam Innocentius II. allodium Mathildæ Lothario reliquerit, siveque Henrico simili

(\*) Habeo hunc discursum pro immaturo partu. Passim interpolatus est; continet res statibus imperii maxime præjudicantes. Nescio itaque qui fiat, quod tales libri prelo subjiciantur. Taceo si ea Auctorum librorumque nomina, falsa allegata, quibus abundat.

mili libertate donaverit; an ipse Innocentius II. apostolica, ut loquitur Baronianum diploma, benignitate concesserit. Sed multum refert, ut sciamus: an Imperator de ipsis provinciis, quae tamen ad Imperium spectant, sit vasallus Romanæ Ecclesiae atque Pontificis. vid. Clariſſ. MVRATORIVS in *Antichità Eſtenſi Cap. XXX. p. 295.* qui ait: *Resta tuttavia dubioso, che signifi- casserò gli antichi col nome d'Allodio, o Terra, o Casa, o Pode- re della Contessa Matilda: sopra che tornerà a me più in occor- cio il trattare nella seconda parte.* Mox subdit: *Non aspetti da me il Lettore, ch' io decida questo punto, & molto meno chi dei pretendenti dell' eredità suddetta si avesse ragione.* Il tem- po ha composto quelle liti; e in tante reuebre non si può porta- re un retto giudizio di un si relevante affare.

§. XI.

Sequitur jam investituræ diplomatis examen. Primo in- tuitu ideo suspectum videtur, quod BARONIVS mentionem haut faciat, ubi extet. Alias in recensione aliorum diplo- matum sedulo adnotat, ubi reperiantur. Quamvis etiam no- tum sit quod BARONIVS relationes suas atque instrumenta, ple- rumque in Vaticana Bibliotheca invenerit, & nobiscum com- municaverit; non tamen hoc temere credendum. Nam in re tanti momenti, sine dubio gerro aperuisset, ubinam huius instrumenti adpareret autographum. At quum id non fecerit, in- hæreamus nostræ sententiaæ, donec quis de veritate huiusdiplomatis me certiorem reddat.

§. XII.

Deinde inscriptio & insolitus titulus Pontificis docet, Diploma esse supposititium. Ibi legitur: *Innocentius Papa II. Lotbario Imperatori Augusto & Regi & Imperatrici.* Ne- scio qui fieri potuerit, ut Pontifex in hujus diplomatis prin- cipio, se Papam adpellitet, quum tamen ex aliis documen- tis, quae BARONIVS publici juris fecit, videre est, illum, se ad- pellasse *Innocentium II. Episcopum Servum Servorum.* Origo hujus denominationis quærenda est in Sæculo reparatæ salutis septimo. Nam *Petri Claviger, Gregorius Magnus* adfectavit hunc titulum, referente *IOANNE DIACONO Lib. II. de vita Gre-*



gorii M. cap. I. conf. DV FRESNE in *Glossario v. Servus Servorum*, & DN. LEYSER in *Diss. de Servis Servorum* §. VII. Ab hoc ævo servi servorum appellatio a Pontificibus, usque ad hodiernum diem continuata est. Quare non amplius dubius hæreo, quin adseram, hoc diploma ex defectu ordinarii atque recepti tituli, esse spurium. Et miror, non mentionem fieri *Cardinalium*, quorum tamen præsentia necessario requiritur in re tanti momimenti.

### §. XIII.

Porro eo magis suspectum est, quo minus constat ex scriptorum relationibus *Henrico Magnanimo*, Mathildinas Terras a Pontifice collatas esse in feudum. Potius CONRADVS VRSPERGENSIS ad an. 1136. testatur: *Henricum Magnanimum a sacerdo Lotbario II. Tervis Mathildinis esse investitum. Henricus, inquit, per Tusciam exercitum duxit, quam & ab Imperatore in beneficium obtinuit.* Ergo Imperator habuit jus conferendi Mathildica in feudum, non vero Archipræfulti Romano competuit, qui non habuit, nec dedit, nec dare potuit. Sed *Henricus Magnanimus* non solum beneficio Imperatoris, sed etiam jure hereditario obtinuit Mathildica.

### Guelphus

---

Henricus Niger.

---

Guelphus = Mathildis

Henricus Magnanimus. Guelphus.

Hinc verosimile esse videtur; *Lotharium* jus succedendi *Henrici Magnanimi* agnoscisse, atque ideo ei Mathildinas Terras contulisse in beneficium.

### §. XIV.

Caret denique hoc instrumentum anno quo scriptum, Obvertitur quidem, scriptum esse anno 1133. quia BARONIVS in *Annal. Eccles.* huic anno subjunxerit. At non sequitur: Baronivs aliquid in hunc vel illum annum retulit, ergo etiam eo tempore accidit. Qui accuratissimi P. ANTONII PAGII *Criticam Baronianam* evolvit, reperiet, illum innumeros BARONII Chronologicos errores adnotasse. Et sane certissimum est, quod

quod omni tempore ratio annorum maxime habita sit in diplomatis. Taceo locum, quo diploma hoc confectum. Nam lege & relege, & non locum invenies. Caret autem omne instrumentum fide, quod neque tempus neque locum subscriptionis exhibet.

§. XV.

Quibus itaque rite pensatis, arguamus hoc diploma falsum atque suppositum. Facile concesserim, esse instrumentum a Pontificum ad seclis exaratum, sed rudi calamo, & inscio Imperatore, atque iisdem artibus in Majestatis Imperatoriae detrimentum excogitatum, uti famosa pictura & injuriosum carmen, de quibus jam diximus supra. Et licet non nulli hoc diploma testimonio PETRI DIACONI *Lib. IV. Chron. Casinens. cap. 97.* corroborent, qui ait: *Innocentius igitur Alemannorum, & Lotharingiorum terram ingressus, juxta Leodium a Lothario Rege excipitur, virgani & annulum ei juxta morem antiquum confirmans, nec non & terram Comitissae Mathildae ei contradens.* Vnusquisque tamen videt, quod haec relatio hoc non pertineat. Nam eo tempore, quo BARONIVS adserit, *Lotharium a Pontifice esse Terris Mathildinis investitum,* ille jam coronatus & in Italia fuit. PETRI DIACONI autem commemoratio, in tempus incidit, quo Pontifex Imperator rem Leodii visitabat, auxiliumque petebat contra *Anacletum Anti-Papam.* Quid? quod DIACONI testimonio fabellam BARONII explodimus? Nam verba: *nec non & terram Comitissae Mathildae ei contradens;* velim sic interpreteris; quod Pontifex se omni jure, quod in Donum Mathildis habere sibi persuadebat, abdicaverit; & imperatori promiserit, si ei auxilium præstaret, se nunquam de Mathildino Dono velle quæstionem movere. Quod adeo verum esse videtur, quia eo tempore *Innocentius* valde in angustiis erat constitutus, & nisi Imperator & Gallia Rex ei Sæculo contigissent, eique contra *Pseundo Papam Anacletum* adstitissent: valde dubito, an Pontificatum obtinuisse?

§. XVI.



QK Th 5974 x 2462150


§. XVI.

De his autem, quæ post decepsum *Lotharii Imperatoris & Henrici Magnanimi*, inter Pontifices & Imperatores, de Terris Mathildinis acta sunt; hic commemorare, nobis superfluum esse videtur, quia jam multi eruditorum hanc spartam in se suscepserunt. Sufficiat, quod dixerim, diplomata atque Instrumenta de Dono Mathildino producta, esse falsa atque supposititia. Id tamen monere lubet, quod Pontifices, de Mathildinis terris cum Imperatoribus disceptantes, nunquam ad recitatum investituræ diploma provocaverint, quod illi tamen, si extitisset atque genuinum fuisset, sine dubio Imperatoribus opposuerint. At id nunquam fecere, sed potius ad falsam Mathildinæ donationis chartulam, tanquam ad sacrum Palladium confugerunt.

§. XVII.

Hæc sunt quæ differuimus de Dono Mathildino. Vides BARONI, omnino esse vera, quæ CICERO Lib. II. de Offic. vaticinatus est? *Fida*, ait, *omnia celeriter tanquam flosculi decidunt, nec simularum quicquam potest esse diuturnum*. Apage nugas! Omnia quæ tu speciose confinxisti, nive Scythica sunt frigidiora. Quum vero Augustissima Brunsuicensis ac Lunæburgensis Domus, legitima juris prætensione in Mathildina bona sit munita; optamus, ut etiam in pacis foederibus, quum præsertim istæ ditiones, quarum olim maxima pars Terrarum Mathildinarum fuit, & ad Domum Guelphicam pertinuit, in disceptionem veniant, Augustissimæ Prosapiæ jus in eas, non negligatur. Serenissimam autem Domum, ut D.O.M. diu florentem præstet, id est, quod precamur.

T A N T V M.



B.M. II, 49.

h. 7, 13.

JOANNIS FRIDERICI JOACHIMI  
HALLENS.  
COMMENTATIO HISTORICA  
DE  
**SPVRIO  
MATHILDINO DONO.**

Entdecker Ungrund  
Der Mathildinischen Schenkung.



HALAE VENEDORVM  
Typis JOA. CHRISTIANI HILIGERI, Acad. Typogr.  
M DCC XXXVI.

In  
5974

